HUGO DE SANCTO VICTORE
Admont, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 16v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift



inuisibilia arbitrari et estimare sciat. secundum quod ipsa ad illa similitudi-
nem habent. et significationem faciunt. Quas uero similitudines uisibilium
ad inuisibilia ipse noster animus arbitrari debeat et estimare. quedam dis-
tincta subiciens exempla ostendit. Ac si diceret. Per uisibilia inui-
sibilium ueritas demonstrata est. quia non potest noster animus ad ipsorum
inuisibilium ueritatem ascendere. nisi per uisibilium consideratione eruditus.
ita uidelicet. ut arbitretur uisibiles formas esse imaginationes
inuisibilis pulchritudinis. Quia in informis rerum uisibilium pulchri-
tudo earundem consistit. congrue ex formis uisibilibus inuisibilem pulchri-
tudinem demonstrari dicit. quomodo uisibilis pulchritudo inuisibilis
pulchritudinis imago est. Quia tamen in rebus uisibilibus aliud forma est
et aliud essentia. idcirco quecumque uisibilia sunt mutabiliter pulchra sunt.
quoniam quecumque numero diuersa sunt et natura mutabilia inseparabiliter
simul non consistunt. In uisibilia autem quibus aliud non est forma et
aliud essentia. quia omne quod est unum est et simplex. et idem est pulchra sunt
ex eo quod sunt. et non est pulchritudo illorum compacta ex multis concurren-
tibus munus. sicut uisibilis natura uidetur. cuius forma secundum locorum
spacia explicatur. et figuras ex multis coaptatas disponitur. Id-
circo alia est pulchritudo uisibilis. et alia inuisibilis naturae. quomodo
illa simplex et uniformis est. ista autem multiplex. et uaria
proportione conducta. Est tamen aliqua similitudo uisibilis pulchri-
tudinis. ad inuisibilem pulchritudinem. secundum emulationem
quam inuisibilis artifex adutraque constituit. in qua quasi specula-
mina quedam diuersarum proportionum unam imaginem effingunt.
Secundum hoc ergo a pulchritudine uisibili ad inuisibilem pulchritu-
dinem mens humana conuenienter excitata ascendit. quasi de
simili ad similia conducta. facile insinuet ipsa inuisibiliter
intelligens. quae sit eorum quae foris uisibiliter comprehendit ad inuisi-